



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt**

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali  
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

**Strunck, Michael**

**Neuhusii, 1715**

B. Luthardus 3tius Episcopus Paderbornensis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28481**

Tempore distincto dictis & cum benefacto.  
 Druthmarus dextrâ (lector non negligat ista)  
 Abbas praeclarus jacet hac in parte Ludolphus  
 Et sic in Sanctis Deus aspice cor venerantis  
 Patris Marquardi, simul artificis Godefridi;  
 Quorum devota prece complaceant tibi vota.

## B. LUTHARDUS

3tius Episcopus Paderbornensis.

Refertur cum titulo Beati in ordine ac serie Episcoporum Paderborn. inserta Synodis anno 1688 ab Herm. Wernero Episcopo celebratis. Item Nicolao Schaten to. 1. Annal. Paderb. & Gerardo Joanne à Benting. in Chronolog. generali pag. 113. Ossa ejus ob famam adhuc recentem Sanctitatis a Vnovo Episcopo 6to elevata esse, scribit ibidem Schaten pag. 194. Westphalū fuisse praeter Cleinsorgium, Bruschium & alios testatur Kerffenbrochius in Catalogo Episcoporum Paderb. his verbis Luthardus Nobilibus Parentibus Diocesis Paderbornensis editus. Gelenius in pretio Hierotheca pag. 75. cum Kerffenbrochio, Bruschio & aliis quibusdam eum connumerat inter Martyres Ebbekesdorpienses, ideòq; appellat Sanctum sed errorem hunc satis clarè refutat Schaten to. 1.

Annal.

*Annal. Paderb. pag. 186. Nam clades istorum Martyrum contigit anno Christi 880, uti dicetur postea: cum è contra B. Luthardus adhuc superstes fuerit anno 885, uti constat ex diplomate Caroli Crassi Imperatoris citato ab eodem Schatè pag. 193. Nomen ejus variè à variis scribitur: alii enim Liutharium, alii Luitharium, alii etiam Lindevvardum & Lintvvardum; plerique tamen Luthardum vocant. Nec minùs authores variant quo ad annum obitus. Verisimilius est è vivis abiisse anno Christi 886, vel ad summum, 887 die 2da Maji. Et quidem, quod ad postremum attinet, nulla est difficultas, cum Necrologium Herisiense clarè hunc diem annotet, dicatq; obiisse sexto nonas Maji. De anno autem, in quo Authores maximè discrepant, id probari potest hac ratione. Nam in primis obiisse non potuit 2da Maji anno 885, quia eodem anno, sexto idus Septemb. adhuc impetravit Diploma Caroli Crassi supra citatum. Neque etiam vitam extendisse potuit ultra annum 887, quia Biso ejus Successor hoc anno aliud Diploma obtinuit ab eodem Carolo Crasso, 11mo Calendas Octobris, uti videre est apud Schaten à pag. 196.*

**T**ertius, quem è Præsulum primorum triade ad cœlos transmisit Padera, fuit B. Luthar-



Luthardus, [a] *innocentissima*, ut inquit Bruschius, & *optima vite Episcopus*. Natus est in Diecepsi Paderbornensi [b] *nobilibus genere & virtute parentibus*, enutritus ibidem in Clero Cathedrali unà cum S. Meinolpho Monasterii Bödecensis fundatore, creatus Episcopus & B. Badurado in officium Pastorale subrogatus anno circiter 860. Adstitit Moguntiaë consecrationi S. Remberti Bremensis Archiepiscopi, quem etiam ob præclara, quæ tunc in eo arbitratus est, virtutum ornamenta per omnem deinde vitam ita sibi conjunctum habuit, ut non modò ad exemplar vite suæ rationes componeret, sed & alios quosque consequendæ perfectionis studiosos ejusdem amicitiaë ac institutioni commendaret. Dedicavit quoque Ecclesiam S. Pauli prope Corbeiam anno 863; interfuit Concilio Triburiensi anno 871, & Coloniensi anno 873: Obtinuit à Carolo Crasso Imperatore anno 885, ut Ecclesiæ suæ Clericis libera eligendi Episcopi potestas esset; & à Luidberto Archiepiscopo Moguntino aliisque Præsulibus in Synodo Wormatiensi congregatis anno 868, ut S. Walburgi sorori suæ Partheno-

[a] *Bruschius in Catalogo Episc. Paderb.* [b] *Bruschius ibid.*

nem Herisiensem liceret condere, ubi ipsa cum aliis ejusdem propositi Domicellis castitatem suam Deo consecraret, & vitam in omni sanctitate ac virtutum studio traducere posset. Multis denique pro Ecclesia & republica Christiana perfunctus laboribus ad metam æternæ beatitudinis in cœlo pertigit die 2da Maji anno 886.

## Ss. Martyres Ebbekeftorpienses,

S. THEODORICUS Episc. Mindensis,  
 S. MARQUARDUS Episc. Hildesimensis,  
 S. BRUNO Dux Westphaliæ & Ostphaliæ  
 aliq; Westphaliæ Comites, militiæ Præfecti, & Milites.

*Referuntur cum titulo Ss. Martyrum ad diem Adam Februarii à Bollandò to. 1. Febr. Ferrario in Catalogo generali Ss. Crantziol. 2. Metrop. c. 3. Gelenio in Fastis Agrippin. sacris. Schaten to. 1. Annal. Paderb. pag. 186, aliisq; pluribus. Addit Gelen. loc. cit. tot fuisse horum Martyræ, ut in tumulos congesta corpora insignes representarent colles. Inter hos duo Episcopi Theodoricus Mindensis & Marquardus Hildesimensis. Plures Comites: videlicet Wigman-*